

21. Si Evangelium prædicandum est omni creatura, etiam piscibus & volucribus est prædicandum.

Atqui Evangelium prædicandum est omni creatura. Marc. 16. v. 15. Ergo:

Resp. vox *creatura* hoc loco non accipitur proprie sed *Synecdochicè* pro creaturis rationalibus. Non enim fidei doctrina inter bruta rationis expertia spargenda est, quemadmodum in libro conformitatum *Francisci*, facie 2. colum 2. nugamentum, quod refert *Christ. Matthias* Sophist. p. 63. extat de *Antonio* fratre, qui secus mare habuerit concionem ad pisces, quorum Majores capita sua de profunditate exseruerint, minores in extremo margine obhaerint, mediocres non procul à littore constiterint, omnes verò finitâ concione capitibus annuerint, voce sublatâ plausum excitârint, & jussu *Antonii* non sine lætis subsultibus dilapsi sint; sed proponenda, & annuncianda est hominibus, juxta illud alterum Christi mandatum: *Docete omnes gentes*, Matth. 28. v. 19.

22. Qui